



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines  
Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

Ratio X. Sententiae hujus probabilitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

*Sententia hujus probabilitas.*

**P**atrocinantur igitur huic Paci multiplex ratio & autoritas, ut illicita secundum se dici non queat, sed tunc, in tantis præsertim necessitatibus, Theologi eam svadeant & Principes sequantur. Auctores Compositionis Pacis c. 5. q. 29. n. 52. *etiam fœdus perpetuum cum sectariis per aliquas circumstantias cohonestari posse credunt.* Tanner. to 3. disp. 1. q. 9. dub. 3. assert. 2. *id quidem non affirmat, sed neque negat.* Plurium Theologorum suffragia haberemus, si occasio hæc de re scribendi se pluribus obtulisset. Quæ in diversam partem afferuntur, ut docta sint, merè tamen scholastica sunt: Consiliis & Theologiis practicis nunc opus est.

## SECTIO III.

Quædam in hac ardua quæstione præ oculis habenda.

## I.

*Permissio mali triplex.*

**P**ermissionem mali triplicem distinguunt Gerardus de Senis, & Joannes Andreas in reg. peccatum. de Reg. Juris in 6. Item Angelus alique Summistæ & Theologi, ubi agunt de Usuris. Prima est permissio simplex indulgens pœnam, ut cum ob multitudinem, aut potentiam delinquentium delicta non puniuntur. Secunda & indulget pœnam & præterea prohibet, ne alii malum intempestive impediunt vel tollant. Sic Ecclesia non solum tolerat ritus Judæorum, sed prohibet quoque, ne Christiani festivitates eorum impediunt, cœmeteria invadant, personas occidant, &c, sicut de Judæis. c. Qui sincera, dist. 45. Tertia est cooperans & adjuvans, quæ malum non solum tolerat, idque impe-